MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80467-15

AUTHOR:

ADRIAN, GERHARD

TITLE:

QUAESTIONES STATIANAE

PLACE:

[GOTTINGAE]

DATE:

1893

Master Negative #

92-80467-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Adrian, Gerhard, 1868-
Quaestiones Statianae; dissertatio inauguralis quam... scripsit Gerhardus Adrian... [Gottingae] Typis Hoferianis, 1893.
42 p. 21½ cm.


Thesis, Würzburg.


VOLUME OF PAMPHLETS


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2-28-92 INITIALS m.p.c.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT







AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202


Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

QUAESTIONES STATIANAE.

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores

ab

amplissimo philosophorum ordine

Regiae Academiae Juliae Maximilianae

Würzburg

rite capessendos

scripsit

Gerhardus Adrian

Elbingensis.

Würzburg

Typis Hoferianis.

MDCCCXCIII.

Memoriae

sororis meae carissimae

sacrum.

Priusquam ad P. Papini Stati carmina ipse accedam, paucis opus est eos homines doctos, quos quidem noverim, commemorare, qui de huius poetae verbis restituendis bene meruerunt. Veteres nempe illae Stati operum editiones Tiliobrogae, Crucei, Gronovi, Barthi, Marklandi, Duebneri omnibus nimirum satis notae sunt. Sed post Quecki editionem Lipsiae 1854 emissam usque ad hunc annum tantum studii atque laboris in Stati carminibus explicandis collocatum est, ut is qui nunc ad ea accedat nisi maximo labore omnes illas hominum doctorum sententias plerumque diversas penitus perlustrare nequeat. Putares igitur Stati carmina nunc ut quae purissima maximeque correcta a nobis legi. At quantum quidem ad Silvas attinet, e contrario res se habet. Tantopere fata adversus illas saevierunt. Oportuit tamen Baehrensium in tanta Silvarum deformitate emendatiores illas nobis reddere, quam editione sua Lipsiae apud Teubnerum 1876 emissa fecit, praesertim cum ante illum Imhofius (*De Silv. Stat. condicione critica*, Progr. d. latein. Hauptschule in Halle 1859 et *Emend. Statian.*, ib. 1867) monuisset, ne quis in Stati carminibus interpretandis nimis coniecturis studeret et cum alii homines docti, ut Otto Mueller (*Quaest. Stat.*, Berlin 1861), E. Grosse (*Observ. in Stati Silvis spec.*, Berlin 1861), E. Nauke (*Observ. crit. et gram. in Statium*, Breslau 1863) ad Statium a grammaticorum et metricorum doctrina recte intellegendum plurima contulissent. Sic autem hominibus doctis multum ille laboris reliquit. Nec vero deerant, qui Statio emendando studerent, e quibus

quorum legi opuscula afferam: H. Koestlin (Philol. vol. XXXV (1876) p. 493—533; XXXVI (1877) p. 176—181; XXXVII (1877) p. 276—292), L. Grasberger (Fleckeisens Jahrbb. f. klass. Phil. CXV (1877), p. 419—425 et p. 769—776, J. J. Cornelissen (Mnemos. V, p 277—294), L. Polster (*Quaest. Stat. part. I*, Gymn.-Progr. v. Wongrowitz, Leipzig (Teubner) 1878), R Bitschofsky (Zeitschr. f. d. österreich. Gymn., 29. Jahrg. (1878) p. 907—912). Multum Stati Silvis recte explicandis ii quoque viri profuerunt, qui singula carmina interpretanda sibi proponerent, ut Herzog (*Stati Epithal.*, Dissert. inaug. Heidelb. 1881), Stange (*Stati carm. quae ad Domitianum spectant interpretatio*, Progr. d. Vitzthumschen Gymn., Dresden 1887), C. Wachsmuth (Rhein. Mus. 43, p. 21—28).

E quibus maxime Wachsmuthi verba penitus animo meo mandavi (l. l. p. 21):

„Das Verständniss der Gelegenheitsgedichte, welche Statius in seinen Silven zusammengestellt hat, zu eröffnen, bedarf es vor allen Dingen einer erklärenden Ausgabe. Eine solche müsste es sich einerseits angelegen sein lassen, die damaligen Zustände, Sitten und Verhältnisse des Lebens der Stadt Rom und insbesondere der römischen Grossen klar zu legen, wo immer Statius auf sie anspielt; wie sie andrerseits eine eingehende Darlegung des eigenthümlichen Apparats von Worten, Ausdrücken, Bildern, mythologischer Vorstellungen geben müsste, mit denen Statius arbeitet. Erst so wird eine Würdigung der in der That in vieler Beziehung lehrreichen Kultur- und Sittenbilder der damaligen römischen Gesellschaft möglich sein".

neque quidquam magis desidero, quam ut ego aliquando tali commentario instructa Stati carmina edere possim, etsi quot quantaeque difficultates usque ad eum finem mihi superandae sint, minime me fugit. Sperari tamen certe potest, nisi mihi obtigerit, alium aliquem tali

modo Stati carmina editurum esse, quoniam ipsis ultimis nostrae aetatis annis a nonnullis hominibus doctis ad ea intellegenda permulta collata sunt. Plurimum enim puto hac in re profecisse Eduardum Schwarz (*Coniectanea*, Ind. lect. Rostock, 1889) et post illum Fridericum Leo (*De Stati Silvis commentatio*, Ind. schol. Gotting. 1892.) Omnino autem optandum est, ut is, qui Stati Silvas denuo edat, ante omnia multas illas doctorum quorundam hominum coniecturas vel supervacuas vel manifesto falsas omittat, quamquam in Stati libris persaepe difficilius est ea, quae tradita sunt, verba recte intellegere, quam coniecturis delere. E quibus locis paucos nunc mihi liceat proferre.

Primum enim Silv. I, 1, 18*) Baehrensium non recte fecisse puto, quod codicum scripturam non servaverit:

exhaustis Martem non altius armis
Bistonius portat sonipes magnoque superbit
Pondere,

ubi apud Baehrensium legitur:

ex vastis Martem non altius armis.

Nam si quis meminerit iam Vergilium hac voce exhauriendi similem in modum usum esse neque apud Statium eiusque aequales simillima exempla deesse, huic coniecturae non poterit assentiri. Liceat igitur mihi nonnullos locos, qui comparentur, afferre:

Verg. Aen. IV, 14: heu, quibus ille
Jactatus fatis! quae bella exhausta canebat!

ib. X, 57: quid pestem evadere belli
Juvit et Argolicos medium fugisse per ignis
Totque maris vastaeque exhausta pericula terrae,
Dum Latium Teucri recidivaque Pergama quaerunt?

Stat. Silv. III, 5, 40:
Scilicet exhausti Lachesis mihi tempora fati
Te tantum miserata dedit.

---

*) In afferendis Stati carminibus Silvarum utor editione Baehrensi Lipsiae apud Teubnerum 1876, Achill. et Theb. Kohlmanni editione ib. 1879 emissa.

Theb. VI, 215: instant flammis multoque soporant
Imbre rogum, posito donec cum sole labores
Exhausti;
Theb. VIII, 216:
Iam fessis gemitu paulatim et corda levavit
Exhaustus sermone dolor
Theb. X, 36: iuvat exhaustos iterare labores.
ib. 383: Eunt taciti per maesta silentia magnis
Passibus exhaustasque dolent pallere tenebras.
Sil. Pun. VI, 656: belli patribus monumenta prioris
Exhausti.

His igitur e locis videtur mihi apparere Silv. I, 1, 18 nihil mutandum esse, sed *exhaustis armis* idem significare atque apud pedestris sermonis scriptores *bello finito.*

Iam accedamus ad Silv. I, 2, 60, ubi secundum codices manuscriptos Statius de Venere dicit:
Fessa iacet stratis, ubi quondam conscia culpae
Lemnia deprenso repserunt vincula lecto,
cum Baehrensius Jacobsi coniecturam receperit, qua *moecho* legitur pro *lecto.* Sed illa notio, quam Jacobsius videtur desiderasse, notissima in hac fabula satis exprimitur eis verbis, quae sunt *conscia culpae* et *deprenso.* Praeterea non solus moechus deprensus erat, sed ipsa Venus — id quod multo maiore pudore atque ignominia illam affecerat — ab omnibus dis cum Marte in lecto accubans conspecta erat. Maxime autem ut codicum scripturam veram esse putem, ea re adducor, quod comparandos habemus Stati versus Theb. VII, 62,63:
talem divina Mulciber arte
Ediderat; nondum radiis monstratus adulter
Foeda catenato luerat conubia lecto.
Nam ut hic *catenato lecto,* legimus illic *deprenso lecto,* neque facile quidquam similius inter se esse posse puto.

Ac ne Silv. I, 2, 103 quidem a quadam violentia, ut ita dicam, mihi videtur Baehrensius cavisse. Nam etsi hoc loco de codicum scriptura dissentire licet, equidem tamen veri simillimum putem in archetypo fuisse:

Finis erat; tenera matris cervice pependit
Blandus et admotis tepefecit pectora pennis.
Id autem, quod apud Baehrensium legitur:
Dixerat et tenera matris cervice pependit
e codicum scriptura nullo modo probabile videtur minimeque habemus, quod hic de ea decedamus, cum Vergilius quoque Aen. I, 223, postquam Aeneam socios consolantem fecit, dicat:
Et iam finis erat
et cum apud Statium quoque saepius haec verba inveniantur, velut Theb. VI, 212:
Finis erat, lassusque putres iam Mulciber ibat
In cineres
et Theb. VI, 343:
Finis erat, differt avidas audire sorores.

Deinde miror, cur Baehrensius Silv. I, 2, 202:
Macte toris, Latios inter placidissime vates,
Quod durum permensus iter coeptique laboris
Prendisti portus.
codicum scripturam non servaverit, magis vero miror, quod Herzogius (l. l. p. 21) hunc locum non intellexit. Is enim in eo maxime offendit, quod illae voces, quae sunt *permensus* et *prendisti,* particula *que* coniunctae sunt. Hoc vero mirari in Stati libris minime licet. Innumeri enim fere in huius poetae carminibus exstant loci, quibus ut apud alia verba, sic praecipue apud ea, quae deponentia grammatici vocare solent, verbum *esse* omittitur, cuius rei exempla afferam haec: Silv. II, 1, 90:
Nec senior Peleus natum comitatus in arma
Troica, sed claro Phoenix haerebat alumno.
Silv. II, 1, 127:
Iam tamen et validi gressus mensuraque maior
Cultibus et visae puero decrescere vestes.
praeterea Silv. II, 4, 29, 30; III, 5, 30, 32, 47; IV, 1, 33; IV, 6, 85; V, 1, 46; V, 2, 36; Ach. I, 127, 143; II, 19; Theb. II, 451, 550, 657, 686; III, 238, 324:

Iamque remensus iter fesso Danaeia Tydeus
Arva gradu viridisque legit devexa Prosymnae
Terribilis visu.

Theb. III, 496: Sic fatus et alto
Membra locat scopulo; Theb. III, 601; IV, 311, 552, 644; V, 303, 473; VI, 735; VIII, 504, 526; X, 795, permultis aliis locis. Quam ob rem equidem hunc, de quo agimus, locum non solum rectissime puto traditum, sed etiam facillimum esse ad intellegendum.

Iam a Marklando immerito, ut mihi quidem videtur, mutatus est locus, qui exstat Silv I, 2, 231:

Fronde virent postes et fulgent compita flammis

cum apud Baehrensium legamus:

Fronte virent postes, ecfulgent compita flammis.

In quibus *fronte* quidem mendum typographicum esse crediderim, cum reliquae Stati editiones, quas quidem noverim, omnes *fronde* exhibeant. Marklandi autem coniectura, qua scribitur *effulgent* pro *et fulgent* vel Baehrensi *ecfulgent* parum, quo nitatur, habet, quam ut eam accipere possimus. Nam ut hic taedis compita fulgere dicit Statius, sic simillime apud eundem poetam legitur Silv. II, 4, 10:

At tibi quanta domus rutila testudine fulgens

et Theb. III, 709: saevoque genas fulgebitis auro.

Nec minus nulla mutatione egent illi versus Silv. I, 5, 63,64: macte, oro, nitenti
Ingenio curaque, puer!

Nam saepissime Statius in eiusmodi sententiis, qualem hic habemus, vocem *oro* addit, ut:

Silv. III, 4, 103: eat, oro, perannos
Iliacos Pyliosque simul.

Silv. IV, 8, 23: sic fertilis, oro,
Stet domus et donis nunquam nudata sacratis!

Theb. XI, 717: sed tu maioribus, oro,
Imperii potiare bonis.

Quam ob rem errasse mihi videtur Baehrensius, cum scriberet: macte ore nitenti
Ingenii curaque puer!

et huc accedit, ut secundum sermonem Statianum *ingenii* ad *curaque* pertinere non possit. Semper enim hic poeta particulam *que* primo novae sententiae verbo affigit, cuius rei exempla in qualibet Stati librorum pagina satis multa inveniuntur. Itaque hoc solum carmen Silv. I, 5 perlustrare mihi liceat:

v. 6: Naidas, undarum dominas, regemque corusci
Ignis adhuc fessum Siculaque incude rubentem
Elicuisse satis.

v. 11: Cunctantemque intende chelyn.

v. 12: dum nitidis canimus gemmantia saxis
Balnea dumque procax vittis hederisque soluta
Fronte verecundo Clio mea ludit Etrusco.

v. 15: Ite deae virides, liquidosque advertite vultus.

v. 23: quae Latium septenaque culmina, Nymphae,
Incolitis Thybrimque novis attollitis undis.

v. 32: ipsa manus tenuit Cytherea mariti
Monstravitque artes.

v. 35: Maeret onyx longe queriturque exclusus ophites.

v. 48: sed argento felix propellitur unda
Argentoque cadit labrisque nitentibus instat.

v. 53: Cui non ire lacu pigrosque exsolvere amictus
Suadeat?

His autem exemplis addam tum etiam hunc usum Statium servare, si prima novae sententiae vox praepositio est, velut Silv. I, 4, 10:

Ergo alacres, quae signa colunt urbana, cohortes,
Inque sinum quae saepe tuum fora turbida questu
Confugiunt.

Itaque hanc quoque ob causam Baehrensi coniectura minime probabilis videtur.

Transeo ad alium locum, Silv. I, 6, 44, ubi tradita illa verba:

Una vescimur omnis ordo mensa
Parvi, femina, plebs, eques, senatus

mira coniectura Baehrensius sic mutavit:

Mas et femina, plebs, eques, senatus,

nimirum quia nesciebat saepissime Statium *parvum* dicere pro *puero*. Sed recte tradita esse haec verba iam ante me complures homines docti contenderunt, ut Stange (l. l. p. 34). Nunc autem id, quod ille recte sensit, certis documentis possum demonstrare. Simillime enim dicit Statius Theb. VII, 520:

Ad vestrum gemitus nunc verto pudorem,
Inachidae, liquistis enim parvosque senesque
Et lacrimas has quisque domi.

Theb. I, 609: lateri duo corpora parvum
Dependent, et iam unca manus vitalibus haeret
Ferratique ungues tenero sub corde tepescunt.

Theb. V, 150:
Idem animus solare domos iuvenumque senumque
Praecipitare colos plenisque adfrangere parvos
Uberibus ferroque omnes exire per annos.

Praeterea voce *parvi* pro *puero* utitur Statius: Silv. IV, 7, 45; V, 5, 74; Ach. I, 38; Theb. V, 534, 547, 617; VII, 93; IX. 719, 839, aliis locis.

Alium locum equidem nihil putaverim nisi vera explicatione indigere, ut sanum eum esse intellegatur. Silv. II, 6, 39 enim codices haec exhibent:

qualis dubiae post crimina formae
De sexu transire iubent.

In quibus verbis ante omnia quaerendum est, quid *de sexu transire* significet. Hoc autem discimus e Silv. III, 4, 71, ubi est:

haut ulli puerum mollire potestas
Credita, sed tacita iuvenis Phoebeius arte
Leniter haut ullo concussum vulnere corpus
De sexu transire iubet.

Itaque haec verba significant ex uno in alterum sexum transire vel e mare feminam fieri. Quod si ad alium

illum locum adhibemus, simplex eorum verborum sententia haec est: quales pueros habitus desectis vel compressis genetalibus ambiguus factus feminas se gerere cogit. Neque de eis verbis, quae sunt *dubiae post crimina formae*, dubitari potest, cum hanc positionem verborum vere Statianam esse ex his exemplis concludi possit:

Silv. III, 1, 42: vagae post crimina noctis
Theb. II, 143: illos post verbera fessos
ib. 365: tantus post iurgia mentes
Junxit amor.
Theb. IV, 483: contra per crimina functis

Falsam quoque sententiam videtur mihi Baehrensius in Stati verba coniciendo intulisse, cum in praefatione libri III pro eis, quae tradita sunt, verbis: *merebatur et Claudii Etrusci mei pietas aliquod ex studiis nostris solatium, cum lugeret veris (quod amarissimum est) lacrimis senem patrem*, scriberet: *quod iam rarissimum est.* Tali enim modo in aequalium mores invehi a Stati usu plane abhorret neque aliquo modo in eis verbis, quae codices praebent, offendi potest, cum inter veris et falsis lacrimis nostris eodem modo atque Stati temporibus distingui soleat et ipse poeta de falsis lacrimis dicat Theb. IX, 601: et falsos quaerit per lumina fletus.

Neque Silv. III, 3, 73 Baehrensi coniectura probari potest, qua haec verba:

Hinc et in Arctoas tenuis comes usque pruinas
Terribilem affatu passus visuque tyrannum
Immanemque suis, ut qui metuenda ferarum
Corda domant

sic mutavit: *Immanem emollis*, id quod mihi videtur his exemplis demonstrari:

Silv. II, 5, 3 (de leone mansueto):
Quid tibi constrata mansuescere profuit ira?
Quid scelus humanasque animo dediscere caedes
Imperiumque pati et domino parere minori?

Silv. V, 1, 46:

Illa quidem nuptumque prior taedasque marito
Passa alio, sed te ceu virginitate iugatum
Visceribus totis animaque amplexa fovebat;

Silv. V, 2, 104:

Tu, quamquam non ante forum legesque severas
Passus, sed tacita studiorum occultus in umbra,
Defensare metus adversaque tela subisti
Pellere.

Theb. II, 451: Non ultra passus, et orsa
Iniecit mediis sermonibus obvia.

Theb. III, 341: ea foedera passum
Regis Echionii,

Theb. X, 38: vix obvia passi
Conloquia, amplexus etiam dextrasque suorum
Excussere umeris.

Maxime digni qui comparentur hi quoque sunt loci: Valer. Flacc. Argon. VIII, 444:

haud hoc nunc genitor putat, haud dare poenas
Iam sceleris, dominumque pati.

Lucan. Phars. IV, 239:

Sic ubi desuetae silvis in carcere clauso
Mansuevere ferae, et vultus posuere minaces,
Atque hominem didicere pati;

Ex his igitur exemplis, cum saepissime *imperium pati*, *dominum pati* vel similia poetae dicant, satis apparet ne hoc quidem loco de codicum scriptura decedendum esse.

Reservanda quoque tradita verba propter ipsam Stati sententiam videntur Silv. III, 4, 75:

Nondum pulchra ducis clementia coeperat ortu
Intactos servare mares; nunc frangere sexum
Atque hominem mutare nefas; gavisaque solos
Quos genuit natura videt,

Nam cum e Suetoni vita, cap. VII, Domitianum, quominus pueri virilitate privarentur, prohibuisse notum sit, sententia poetae haec est: Antea hominibus licuit e Flavio Flaviam facere, e Clodio Clodiam, nunc nemo

est, nisi quem natura ipsa genuit. Itaque dicendum est immerito Baehrensium *solos* mutasse in *totos*.

Neque aliter dissentio a Baehrensio, cum Silv. III, 4, 96:

patriis nec gratius ullum
Munus erit ipsoque potentius auro,

petitius scripserit pro *potentius*. Nam cum *gratius* et *petitius* fere idem significent, ea voce, quae est *potentius*, multo plus exprimitur. Potens enim hoc loco illud mihi videtur significare, quod cum plurimum efficiat, summi preti est, qua cum significatione haec vox his quoque locis invenitur: Silv. V, 1, 61:

Si Babylonos opes, Lydae si pondera gazae
Indorumque dares Serumque Arabumque potentes
Divitias, mallet cum paupertate pudica
Intemerata mori vitamque rependere famae.

Theb. VIII, 337:

Ille mihi Delo Cirrhaque potentior omni,
Quo ruis, ille adytis melior locus.

Eodem modo codicum scripturam servaverim Silv. III, 5, 16:

certe lascivia corde
Nulla, nec aut rabidi mulcent te proelia Circi
Aut intrat sensus clamosi turba theatri;

neque assentior Baehrensio, cum scripserit *dammosi* pro *clamosi*. Nam quantus saepe tumultus atque clamor in Romanorum theatris fuerit, cum e multis scriptoribus, tum e Lucani Phars. VII, 11 cognoscitur:

Nam Pompeiani visus sibi sede theatri
Innumeram effigiem Romanae cernere plebis,
Attollique suum laetis ad sidera nomen
Vocibus et plausu certare sonantes.

De voce ipsa autem clamosi conferre licet: Stat. Silv. IV, 4, 18:

Te quoque clamosae quaenam plaga mitior urbi
Subtrahit?

et Iuv. IX, 144: et duo sortes
De grege Moesorum, qui me cervice locata
Securum iubeant clamoso insistere Circo.

Neque aliter Silv. III, 5, 74 codicum scripturam reservandam esse censeo:

hinc auspice condita Phoebo
Tecta Dicarchei portusque et litora mundi
Hospita at hinc magnae tractus imitantia Romae
Quae Capys advectis implevit moenia Teucris.

Neque enim est, quod cum Marklando *mundo* scribamus pro *mundi*, cum aliis quoque locis vocem hospiti cum genetivo Statius coniungat, velut Silv. V, 3, 168:

Ausonii pridem laris hospita Cyme

Theb. IX, 228: stupet hospita belli
Unda viros.

Eundem in modum, dummodo recte distinxerimus, nulla mutatione egere putaverim finem prafationis libri Silvarum IV, ubi legimus in codicibus: *quare ergo plura in quarto Silvarum quam in prioribus? ne se putent aliquid egisse, qui reprehenderunt, ut audio, quod hoc stili genus edidissem. primum supervacuum est dissuadere rem factam, deinde multa ex illis iam domino Caesari dederam, et quanto hoc plus est quam edere? exercere autem iocos non licet? secreto inquit sed et sphaeromachias spectamus et palaris* (vel *pilaris*) *lusio admittit novissime quisquis ex meis invitus aliquid legit, statim se profiteatur adversum? ita quare consilio eius accedam? in summam nempe ego sum qui traducor taceat et gaudeat hunc tamen librum tu, Marcelle, defendes et si videtur hactenus sin minus reprehendemur vale.* Sic enim primum hunc locum legere opus est, ne cuius animus Baehrensianae editionis scriptura praeoccupetur, quae prorsus false distincta mihi videtur haec verba exhibere. Quid enim dicit poeta? Cum audivisset propter hoc stili genus a quibusdam hominibus se reprehendi, has vituperationes refutare conatur. Quocum autem colloquitur? Num cum illo ipso, qui eum vituperaverat? Minime. Nam sic si res se haberet,

dicere debuit: *quare consilio tuo accedam* et *taceas et gaudeas.* Nunc autem cum tertia persona Statius utatur, apertum est cum amico aliquo se colloquentem fingere poetam de eis rebus, quas tertius aliquis malevolus in obtrectationem Silvarum dixerat. Quod qui tenebit, facillime intelleget illud *ita* in *itaque* vel simile quidquam mutare non licere. Immo vero sic narrat amicus Statio malevolum illum iudicasse. Deinde antea certe ea scriptura probanda est, quam codices novicii (C) exhibent: *palaris.* Nam *pilaris*, quod Politianus adnotavit, primum aliis locis omnino non invenitur, sed a *pila* derivari solet *pilarius.* Ceterum *palaris* multo melius mihi videtur ad id quadrare, quod Statius dicere vult. Ut enim gladiator — haec est poetae sententia — etiamsi non contra verum adversarium, sed contra palum pugnet, tamen propter artem suam maximam apud spectatores admirationem nancisci potest, sic Statius quoque in hoc quasi lusorio carminum genere, quamvis longe absit a sublimibus epicis carminibus, artificem putat se praestare posse. Ultima autem verba Baehrensius prorsus convertit atque confudit, sic ut illa intellegi paene omnino non possint. Nec tamen quidquam hic mutandum esse concludere licet e fine praefationis libri II, ubi est: *haec qualiacumque sunt, Melior carissime, si tibi non displicuerint, a te publicum accipiant; si minus, ad me revertantur.* —

Totum igitur hunc locum sic distinguendum esse putem:
exercere autem iocos non licet?
‚secreto' inquit.
sed et sphaeromachias spectamus et palaris lusio admittit novissime: quisquis ex meis invitus aliquid legit, statim se profiteatur adversum?
‚ita'.
quare consilio eius accedam? in summa nempe ego sum qui traducor. taceat et gaudeat!
Hunc tamen librum tu, Marcelle, defendes et, si videtur, hactenus! sin minus reprehendemur, vale!

Iam cum propter artem palaeographicam, tum poetae sententiam Silv. IV, 3, 89:

Ne me pulvereum gravemque caeno
Tyrrheni sinus obruat profundi

rectius *obruat* legi putaverim quam id, quod Baehrensius scripsit, *abluat*. Gaudet enim Vulturnus fluvius, quod, ut est v. 91, nitentibus undis feratur; huic autem nihil opponi potest nisi quod gravis caeno mari obruatur vel mergatur. De verbo autem illo obruendi fortasse non supervacuum est comparare hos locos:

Silv. I, 6, 22:
Non tantis Hyas inserena nimbis
Terras obruit aut soluta Plias
Silv. V, 5, 53: ignosce, puer, tu me caligine maestum
Obruis a! duro.
Theb. II, 566: Stupet obvia leto
Turba superstantem atque emissi turbine montis
Obruitur;
Theb. V, 183: una gravi penitus latet obruta caelo
Lemnos.
Theb. VI, 859:
(*collis scrutator Hiberi*) latet intus monte soluto
Obrutus.
Theb. IX, 536:
Illam (*quercum*) nutantem nemus et mons ipse tremescit,
Qua tellure cadat, quas obruat ordine silvas.

Nec minus Silv. IV, 3, 159 Stati verba a Baehrensio corrupta esse mihi videntur:

Et laudum cumulo beatus omni
Scandes belliger abnuesque currus,

ubi *abnues* et a Politiano et codicibus C traditum est, quoniam *abimes* nihil aliud est atque *abnues*. Errat igitur Baehrensius, si in tanto codicum consensu scribit *adnues*. Nam *scandere currus* et *adnuere* prorsus fere idem est, cum *abnuere* contrarium sit et maximam gradationem significet. Dicit enim hic poeta: sive triumphum accipies, sive recusabis, quod suo iure eum dicere ex

historicorum libris satis notum est. Ceterum de hac re Statius ipse saepius verba facit ut Silv. IV, 1, 39 de eodem Domitiano dicit:

Mille tropaea feres, tantum permitte triumphos.

Ac ne Silv. IV, 4, 56 quidem, id quod Marklandus fecit, de codicum scriptura decedam, sed sic fortasse hic legendum est:

At tu, si longi cursum dabit Atropos aevi
(Detque precor Latiique ducis sic numina pergant,
Quem tibi posthabito studium est coluisse Tonante,
Quique tuos alio subtexit munere fasces
Et spatia obliquae mandat renovare Latinae),
Forsitan Ausonios ibis frenare cohortes
Aut Rheni populos aut nigrae litora Thules
Aut Histrum servare datus metuendaque portae
Limina Caspiacae.

Similiter res se habet Silv. IV, 4, 79:

Haec ego Chalcidicis ad te, Marcelle, sonabam
Litoribus, fractas ubi Vesvius erigit iras,
Aemula Trinacriis volvens incendia flammis.

Traditum hic enim est *eriget*, id quod Avantius mutavit in *egerit*. Mihi vero recte videntur docti Itali *erigit* scripsisse. Nam etiam Vergilius hac voce erigendi simillimo modo usus est, velut Aen. III, 576: (de Aetna)

Interdum scopulos avolsaque viscera montis
Erigit eructans
Aen. IX, 239: aterque ad sidera fumus
Erigitur;

Statius autem alio loco dicit, Theb. VII, 671:

Qualis ubi primam leo mane cubilibus atris
Erexit rabiem

et Sil. Pun. IV, 278:

(*Cryxus*) horrisonis ululatibus erigit iras.

Quam ob rem facere non possum, quin hoc quoque loco *erigit* scribendum esse putem.

Eundem in modum prorsus sanus est locus, qui exstat Silv. IV, 6, 36, distinguendus vero mea quidem sententia sic est:

Haec inter castae genius tutelaque mensae
Amphitryoniades multo mea cepit amore
Pectora nec longo satiavit lumina visu:
Tantus honos operi finesque inclusa per artos
Maiestas! deus ille, deus! seseque videndum
Indulsit, Lysippe, tibi.

Dicit enim Statius his verbis: profecto hic deus est, sed tamen, quamquam dei ab hominibus non conspici solent, tibi, Lysippe, se dedit videndum. Similiter autem ut hic *deus ille, deus!* saepissime Statius dicit, velut Silv. V, 1, 237: *domus ista, domus!* Silv. V, 5, 69: *meus ille, meus!* Ach. I, 528: *meus iste, meus!* Theb. V, 751: *deus iste, deus!* aliis locis. Neque quidquam in eis verbis, quae sunt *seseque videndum*, mutandum esse satis apparet e Silv. II, 6, 76, ubi de Rhamnusia dicit poeta:

Heu misero letale favens seseque videndo
Torsit etc.

Ac ne v. 65 quidem eiusdem carminis videtur mihi Baehrensius recte intellexisse, immo vero equidem sic eum legendum esse putaverim:

Hinc acies semper victor narrabat opimas,

sic ut Statius dicat: Inde Alexander, quia Hercules eum tutabatur, semper victorias narrare potuit, h. e. semper vicit, id quod solum ad eum versum, qui antecedit, videtur quadrare:

Semper ab hoc animos in crastina bella petebat,

Acie opima autem, quod Baehrensius scripsit, nullo modo ferri postet, ne verbum illud narrandi obiecto egeat. Animadvertendum autem est, etiamsi apud alios quoque scriptores invenitur, aciem in Stati libris saepissime idem fere esse atque pugnam, ut Silv. I, 4, 89; IV, 2, 66; Theb III, 72; XII, 639, aliis locis plurimis.

Fides quoque codicibus habenda est Silv. V, I, 202—206:

qualis conspecta coniuge segnis
Odrysius vates positis ad Strymona plectris
Obstupuit tristemque rogum sine carmine flevit.
Ille etiam erecte rupisset tempora vitae
Ne tu tartareum chaos incomitata subires.

Quorum verborum primum Barthius offendit in primo versu dicens: *Quid enim ad furentum et sibi ipsi imminentem in extrema pericula dolorem Abascanti segnities?* et pro eis, quae tradita sunt, scribens:

qualis conspecto coniugis igni

Quam coniecturam Baehrensius, ut mihi quidem videtur, immerito in contextum recepit. Nam ut illud verbum, quod est *segnis*, ad Abascantum fortasse non quadrat, ita multo minus verba, quae sequuntur, *positis ad Strymona plectris* et *obstupuit* de Stati amico dici possunt. Itaque si vera esset Barthi sententia, haec omnia mutari opus esset. Nunc autem respiciendum est unum e multis similibus illis epicis hoc esse, in quibus poetas non id spectare, ut omni modo eae res, quae comparantur, inter se conveniant, immo vero sat habere, si copiosis verbis simile describant, inter omnes constat. Quam ob rem nullo modo Barthi coniectura probanda est. Aptissime enim ea, quae tradita sunt, de Orpheo dicuntur. Nam omnibus fere de Orpheo imaginibus et fabulis haec vox, quae est *segnis*, comprobatur, quippe quae vatem illum, cum sua ipsius culpa solus e Tartaro rediisset, omnes voluptates contempsisse doceant, nec non quadrat ad ea, quae praeterea hic de illo dicuntur: *positis ad Strymona plectris* et *obstupuit*. Deinde mirabilis est Baehrensi coniectura, qua in IV horum versuum pro *erecte*, quod codices videntur exhibere, scribit *maestae*, cum quantum ad artem palaeographicam attinet minimam habeat probabilitatem. Ceterum vox illa erecti apud Statium saepissime invenitur, ut Theb. XI, 728:

ego erectum subigam et servire docebo.

Theb. IV, 382: et ardens

Erectam attonitis implet clamoribus urbem.

Ach. I, 235, 764; II, 34; Theb. I, 186; II, 506; V, 95; VI, 734; X, 415, aliis locis. Saepissime erigendi quoque verbum translata cum significatione apud Statium exstat. Sed haec omnia fortasse haud ignoravit Baehrensius, cum alio loco ipse hanc vocem coniecerit: Silv. IV, 8, 6:

Nec solum festas erecta Neapolis aras
Ambiat,

ubi traditum est: *secreta*. Itaque in eo fortasse hic homo doctus offendit, quod in lexicis ad hanc vocem, quae est *erecte*, adnotatur nisi comparativa forma eam non inveniri. Sed primum haec eorum, qui lexica conscripserunt, doctrina duobus solum scriptoribus nititur, Ammiano et Gellio, deinde cur Statius, qui tot tantisque rebus ab aliis abhorreat, hoc quoque loco in re tam pusilla de solito verborum usu secedere non possit, intellegi nequit, praesertim cum hoc verbum ad reliqua aptissime videatur quadrare. Dicit enim poeta: Tu, Abascante, cum uxor tua esset mortua, similis eras Orpheo. Nam, ut ille fecit, nihil aliud agere poteras nisi dolori tuo indulgere. Nec vero solum ei similis eras, sed si tu Orpheus fuisses, longe maiora illo fecisses. Tu enim fortiter vitam abiecisses, ut in aeternum cum uxore coniunctus fuisses, cum ille mortis timore adductus vivus in Tartarum descendit. Hanc enim Stati esse sententiam clarissime apparet e Platonis Convivio, 179 D.: *οὕτω καὶ θεοὶ τὴν περὶ τὸν ἔρωτα σπουδήν τε καὶ ἀρετὴν μάλιστα τιμῶσιν. Ὀρφέα δὲ τὸν Οἰάγρου ἀτελῆ ἀπέπεμψαν ἐξ Ἅιδου, φάσμα δείξαντες τῆς γυναικός, ἐφ' ἣν ἧκεν, αὐτὴν δὲ οὐ δόντες, ὅτι μαλθακίζεσθαι ἐδόκει, ἅτε ὢν κιθαρῳδός, καὶ οὐ τολμᾶν ἕνεκα τοῦ ἔρωτος ἀποθνήσκειν, ὥσπερ Ἄλκηστις, ἀλλὰ διαμηχανᾶσθαι ζῶν εἰσιέναι εἰς Ἅιδου. τοιγάρτοι διὰ ταῦτα δίκην αὐτῷ ἐπέθεσαν καὶ*

ἐποίησαν τὸν θάνατον αὐτοῦ ὑπὸ γυναικῶν γενέσθαι. Orpheus igitur *ἐμαλθακίζετο καὶ οὐκ ἐτόλμα ἀποθνήσκειν,* tu autem — et quid potest hic aptius dici, quam id, quod traditum est? — *erecte*, id est fortiter, pro coniuge mortuus esses. Quam ob rem, ut dixi, nihil hoc loco mutandum esse crediderim.

Reservandam quoque codicum scripturam esse puto Silv. V, 2, 11—14:

etiamne optanda propinquis
Tristia, ut octonos bis iam tibi circuit orbes
Vita? Sed angustis animus robustior annis;
Succumbitque oneri et mentem sua non capit aetas.

In quibus verbis primum Baehrensi coniectura, qua scribitur *haec* pro *ne*, non est probanda, cum neque ad artem palaeographicam probabilis videatur neque ullo modo sententiam mutet. Nam interrogationem in his verbis inesse apertum est. Sententia enim poetae haec est: Secedis Roma, puer, quamquam nondum ad stipendia facienda. Hic interrogaverit quispiam: Et tamen iam secedis, etsi annum duodevicesimum nondum agis? Certe, respondet poeta, nam etiamsi annis puer, mente vir es. Eodem modo recte tradita esse mihi videntur ea verba, quae sequuntur:

Succumbitque oneri et mentem sua non capit aetas.

Quae mirum in modum homines docti non intellexerunt. Nec tamen hic locus ulla eget mutatione. Hoc solum sciendum est libenter Statium subiectum in fine totius sententiae ponere, ut Silv. IV, 6, 58:

tenet haec marcentia fratris
Pocula, at haec saevae meminit manus aspera caedis;
Sustinet et cultum Nemeaeo tegmine saxum,

ubi *sustinet* significat *fundamentum est* et subiectum huius *sustinet* non est *manus*, sed *saxum*. Hoc igitur loco, Silv. V, 2, 14, post vocem illam, quae est *annis*, graviter interpungendum et ad verbum illud *succumbit* subiectum sumendum est *aetas*.

Nec minus Statium ipsum, non codices corrigit, vel potius corrumpit, qui Silv. V, 2, 54 aliquid mutare velit: tu disce patrem, quantusque negantem

Fluctibus occiduis fessoque Hyperione Thalen
Intrarit mandata gerens,

etsi Domiti Calderini correcturam, *fessoque* pro *fessusque*, sine ullo dubio accipere debemus. Cetera vero omnia plana sunt atque aperta, dummodo sciamus verbum negandi apud Statium, ut apud alios quoque scriptores, absolute usurpatum significare *resistere* vel *repugnare*, id quod ex his exemplis appareat: Silv. III, 1, 124:

Praecipuus sed enim labor est excindere dextra
Oppositas rupes et saxa negantia ferro.

Theb. II, 669: Ast tamen illi
Membra negant, lassusque ferit praecordia sanguis.

Theb. IV, 124: dexter Iaccho
Collis, et Ennaeae Cereri negat

Hoc autem loco, Silv. V, 2, 54, eo facilius hoc potest intellegi, quia ex illo, quod sequitur, verbo intrandi facillime substantivum introitus ad *negantem* suppleri potest. Eundem autem in modum hoc verbum negandi Imhofius explicavit *Emend. Statian.* p. 3. Erravit vero ille homo doctus, cum scribere vellet *Hyperioni*. Neque enim fluctibus et soli repugnat Thule, sed haec instrumenta sunt, quibus hominibus aditum petentibus resistit. Iam vero *fluctibus* in *lucibus* nulla alia causa mutavit Baehrensius nisi quod *fluctibus* ad coniecturam illam *nigrantem* non quadrabat. Praeterea autem falsam hanc coniecturam esse vel eo evincitur quod *lucibus occiduis* et *fesso Hyperione* prorsus idem esset.

Difficilior fortasse quaestio est, num Silv. V, 3, 23 quoque notique modos exstendis Arati codicum scriptura reservanda sit, ubi Baehrensius scripsit *doctique*. Mihi vero hoc verbum noti hic non eo sensu intellegendum videtur, quo est *illustris, celeber*, sed ut id significet, quod quis optime noverit vel qua in re maxime versatus sit. Itaque mente

suppleri potest *tibi*, velut Statius dicit Silv. IV, 4, 101:

et penitus noti tibi vatis amorem
Corde exire veta.

Nam hoc sensu saepius apud hunc poetam *notus* reperitur, ut Ach. I, 572: modo dulcia notae
Fila lyrae tenuesque modos et carmina monstrat
Chironis

Theb. II, 66: gemuit prope limina nati
Laius et notos cunctatur inire penates.

Theb. III, 330: Sic nota in pascua taurus
Bellator redit

Theb. IX, 605: (de Atalanta)
notasque ex ordine silvas
Et quercum gavisa videt.

Alio loco, Silv. V, 3, 211:

nec enim mihi sidera tantum
Aequoraque et terras quam vos debere parenti,

confitendum mihi est me non intellegere, quid Baehrensius Statium hic dicere putaverit, cum scripserit:

nec enim sibi sidera tantum
Aequoraque et terras quam nos debere parenti.

Sed fortasse hoc omnino non opus est, cum Stati verba, sic ut codicibus tradita sunt, facillime intellegantur neque ulla mutatione egeant. Dicit enim poeta: Equidem non tanti aestimo patrem me genuisse, quanti artem carmina pangendi ab eo me accepisse: hanc ob causam maximas gratias ei habeo.

Sermonem Statianum autem Baehrensius mihi videtur parum respexisse Silv. V, 4, 11:

Unde ego sufficiam? non si mihi lumina mille,
Quae sacer alterna tantum statione tenebat
Argus,

cum scriberet ille homo doctus:

non sunt mihi lumina mille.

Nam contra hanc Baehrensi coniecturam multi loci afferri possunt, quibus simillimum in modum poeta dicit, ut Silv. I, 1, 40: nec dulcior usquam

Lecta deae sedes, nec si, pater, ipse teneres
Pectora, quae mundi valeant evolvere curas,

quamquam hic quoque a doctis Italis *si* in *sic* mutatum est. Silv. I, 2, 38:

Digna quidem merces, et si tibi Iuno labores
Herculeos, Stygiis et si concurrere monstris
Fata darent, si Cyaneos raperere per aestus.

Silv. I, 4, 128: qua nunc tibi pauper acerra
Digna litem? nec si vacuet Mevania valles,
Aut praestent niveos Clitumna novalia tauros,
Sufficiam.

Silv. IV, 2, 8: quas solvere grates
Sufficiam? non, si pariter mihi vertice laeto
Nectat odoratas et Smyrna et Mantua lauros,
Digna loquar.

Theb. V, 569: At non mea vulnera . . . . umquam
Effugies . . . . . .
Non, si consertum super haec mihi membra Giganta
Subveheres.

Verumtamen, quamvis saepe recte Stati verba codicibus manuscriptis tradita sint, tamen nimirum non desunt loci, qui emendationem exspectent. E quibus iam paucos afferam et sanare temptabo.

Ac primum quidem aggrediamur, si placet, ad primi libri Silv. praefationem, cuius finem mutilatum equidem non recte puto a Baehrensio suppletum esse. Is enim ad ultima, quae tradita sunt, verba: *in fine sunt Kalendae Decembres, quibus utique creditur: noctem enim illam felicissimam et voluptatibus publicis inexpertam* addidit *celebrant. vale.* Ego vero hic contra Baehrensium contendo: non celebrant! Nam siquis ad illud carmen, quod exstat Silv. I, 6 propius accesserit, inveniet usque

ad v. 84 diem, non noctem Statium celebrare. v. 85 demum initium noctis habemus et paulo post finem totius carminis. Mirum igitur esset, si Statius diceret noctem illam se hoc carmine canere. Deinde quae haec causa est: Huic carmini utique creditur brevi temporis spatio illud factum esse, quia noctem illam celebrat? Nonne eandem ob causam totum annum Statius in illud carmen consumpsisse potuit? Itaque utcumque Stati verba hic fuerunt, *celebrant. vale.* non scripsit poeta, sed talia fere hic exstitisse suspicor: *(noctem enim illam felicissimam et voluptatibus publicis inexpertam) certe amplius celebrassem, nisi vino et totius diei oblectationibus nimis fessus fuissem.* Hoc enim v. 95, 96 maxime illius carminis mihi videtur indicari:

Iam iam deficio tuoque Baccho
In serum trahor ebrius soporem.

Utrumque autem, et diem et noctem, Statium celebraturum fuisse apparet ex eis, quae in initio huius carminis v. 7, 8 poeta dicit:

dum refero diem beatam
Laeti Caesaris ebriamque noctem.

Sic enim hoc loco legendum esse putaverim et *partem*, id quod pro *nocte* traditum est, glossema docti cuiuspiam hominis mihi videtur esse, qui de altera huius carminis parte idem quod ego sensit.

Iam transeamus ad Silv. I, 4, 60:

Tunc deus Alpini qui iuxta culmina dorsi
Signat Apollineos sancto cognomine lucos,
Respicit heu tanti † precidem securus alumni.

Corruptas enim illas litteras *precidem* perperam Baehrensius mihi videtur mutasse in *residens,* ut de alia illa falsa coniectura *pridem* taceam Primum enim ad participium illud *residens* non adiectivum, sed adverbium *secure* postularetur. Deinde verbo illi respiciendi obiectum deest, id quod comparatis his locis ferri nequit:

Theb. III, 159: Respexit Lucina domum

Ov. fast. IV, 162:

Semper ad Aeneadas placido, pulcherrima, voltu
Respice, totque tuas, diva, tuere nurus.

Inde concludere licet in corruptis his litteris obiectum verbi respiciendi latere et cum antea legamus (v. 56, 57):

hinc fessos penitus subrepsit in artus
Insidiosa quies et pigra oblivio vitae.

scripsisse hoc loco Statium puto:

Respicit heu tanti requiem securus alumni.

Paulo post in eodem carmine alia inest corruptela. Legimus enim v. 63: Teneamus adorti
Tendatis iam fila colos.

Corruptum autem illud verbum, quod est *tendatis*, ante me iam Baehrensius emendavit in *tenvantis*, quamquam hanc coniecturam in contextum non recepit. Comparare enim licet non solum illum, quem Baehrensius affert, locum: Silv. V, 1, 156:

tenuantur dura sororum
Licia et exacti superest pars ultima fili.

sed etiam Ach. I, 581:

Et tenuare rudes attrito pollice lanas
Demonstrat reficitque colus et perdita dura
Pensa manu;

et Ach. I, 635:

Ast ego pampineis diffundere bracchia thyrsis
Et tenuare colus (pudet heu taedetque fateri!)
Iam scio.

Necdum tamen sanus hic locus est. Nam si colus fila diminuunt, cur Apollo eas tenere vult? Immo vero amplificare, extendere eas deum opus est, ut Statius Silv. III, 1, 172 Herculem dicentem facit:

Extendamque colus (duram scio vincere mortem).

Scripsit igitur fortasse Statius hoc loco:

Tendamus adorti
Tenvantis iam fila colos.

Permutatis deinde duabus his vocibus errore librarii

primum scriptum erat: Tenvamus adorti
Tendantis iam fila colos.

et postea ex illo *tenvamus* fiebat *teneamus*. Ceterum litteras illas *u* et *i* saepius consonantum more a Statio usurpari Otto Mueller docuit l. l. p. 13, qui hos locos recte attulit:

Silv. I, 4, 36: Sperne coli tenuiore lyra.
Theb. V, 597: Rapta cutis, tenuia ossa patent
Theb. VI, 181: Obnubit tenuia ora comis,
Theb. VIII, 156: sed torpet iter falluntque ruentes
Genua viros.
Theb. XII, 2: et instantem cornu tenuiore videbat
Luna diem.

Deinde v. 85 eiusdem carminis aliter interpungendum esse crediderim atque Baehrensius fecit, sic ut legamus: Libyci quid mira tributi
Obsequia et missum media de pace triumphum
Laudem et opes? Tantas nec qui mandaverat ausus
Exspectare fuit.

ne verbo illi exspectandi obiectum desit.

Gravior est corruptela, quae exstat Silv. II, 1, 67:

Muta domus fateor desolatique penates
Et situs in thalamis et maesta silentia mensis.

Hic enim neque Marklandi coniecturam *pariter* pro illo *fateor*, neque Baehrensi *stat ero* veram esse puto, cum domus in universum dicta non possit opponi eis, quae sequuntur, penatibus, thalamis, mensis, quippe quae in domo insint. Sed animadvertas velim, quanta arte Statius has res describat. Nam v. 62—64:

Quis matutinos abrumpet murmure somnos
Impositus stratis abitusque morabitur artis
Nexibus adque ipsos revocabit ad oscula postes?

Atedium Meliorem fingit abeuntem, deinde v. 65 redeuntem:

Obvius intranti rursus quis in ora manusque
Prosiliet brevibusque humeros circumdabit ulnis?

postremo in domum ingredientem, ubi deinceps

enumerantur atrium cum penatibus, thalami, mensae. Itaque in eo, de quo agimus, verbo latere aliquid opus est, quo pars domus significetur et haec pars, quoniam primo loco commemoratur, nulla esse potest nisi externa, quam is, qui ad domum venit, primam videt. Quam ob rem aptissime puto scribi posse:

Muta domus facies desolatique penates.

Multum quoque laboris alii eiusdem carminis loco homines docti impertiverunt, qui in codicibus v. 129 sic legitur: brevibus constringere laenis
Pectora et angusta telas artare lacerna
Enormes non ille sinus, sed etc.

nec tamen is adhuc emendatus est. Nam Marklandi coniectura, qua scribitur *sinens* pro *sinus*, quamvis placida primo obtuto videatur, tamen eam ob causam ferri nequit, quia aut obiectum desideratur, quo indicetur, quemnam herus pueri pectora artare non siverit, aut scribere opus esset *artari*. Ceterae autem Marklandi mutationes:

angustos artus iactare lacerna
Enormi non ille sinens

a Stati sententia etiam plane abhorrent, cum non de angustis artibus, immo vero de maximis dicat poeta. Iam id, quod Peyraredus proposuit *talos artare*, paene ridiculum est. Quonam enim modo tali miseri illius pueri lacerna tangi potuerint, intellegere nemo potest. Ac ne Baehrensius quidem veram Stati scripturam invenit, cum coniceret:

et angusta talari artare lacertos
Enormes non ille sinens

Nullo enim modo talaris tunica angusta appellari potest, cum amplissimum esset vestimentum atque ad pedes effusum. Lacerna autem, quam vocem codices exhibent, parvula erat vestis et quae praecipue a pueris gestabatur, sic ut optime illam ad hunc locum quadrare putem. Atque omnino omnia, quae tradita sunt, aptissima videntur excepta una illa corrupta voce

telas. Haec autem e quibus litteris corrupta sit, concludere licet comparato eo loco qui exstat Silv. III, 1, 117, ubi *tela* pro *templa* codices exhibent. Quapropter hic ego puto pro *telas* scribendum esse *temptans*, ut id participium habeamus, cui insequens illud *texta legens* coordinatum sit. Totus igitur locus sic velim legatur:

brevibus constringere laenis
Pectora et angusta temptans artare lacerna
Enormes non ille sinus, sed etc.

Ac ne quis de collocatione verborum, quae sunt:

Enomes non ille sinus,

miretur, comparandos afferam hos locos: Theb. IV, 608:

Stabat inops comitum Cocyti in litore maesto
Laius, immiti quem iam deus ales Averno
Reddiderat, dirumque tuens obliqua nepotem
(Noscit enim vultu) non ille aut sanguinis haustus
Cetera ceu plebes, aliumve accedit ad imbrem,
Immortale odium spirans.

et Theb. VI, 807: Sic otia Martis
Degere et armiferas laxare adsueverat iras
Ingentes contra ille viros Acheloia circum
Litora felicesque deo monstrante palaestras.

Nunc ad proximum carmen accedamus, cuius v. 125 emendatione adhuc eget:

Quem non ambigui fasces, non mobile vulgus,
Non leges, non castra tenent, qui pectore magno
Spemque metumque domas † tuto sublimior omni,
Exemptus fatis

Neque enim Domiti Calderini coniectura *vitio*, neque Baehrensi *astu* poetae sententiae satis facit, sed longe maiorem honorem Statius amico suo tribuit. Dicit enim: Sublimior es, quam qui consul vel praetor vel tribunus militum vel alio ullius magistratus titulo appelleris. Quam ob causam mihi videtur scribendum esse:

Spemque metumque domas titulo sublimior omni,

ut postea dicit poeta v. 146: Ite per annos
Saeculaque et priscae titulos praecedite famae.
et Silv. II, 7, 62:
Hinc castae titulum decusque Pollae
Iocunda dabis adlocutione.
et Silv. V, 2, 22:
Cum pulcher visu, titulis generosus avitis
Exspectatur equus,
et aliis locis permultis.

Simili loco proximi carminis alia inest corruptela. Traditum enim est Silv. II, 3, 69:

Incorrupte fidem nullosque experte tumultus
Et secrete, palam quod digeris ordine vitam,
Idem auri facilis contemptor et optimus idem
Comere divitias opibusque immittere lucem.

Atque hic primum quidem illa vox, quae est *secrete*, optime intellegi potest, neque Marklandi coniectura *secure* egemus, cum secreta vita ad tales philosophos docto otio et Epicuri doctrinae deditos maxime quadret. Sed quae sequuntur corrupta esse mihi videntur. Nam quid hoc est: *vitam digerere?* Quam vitam describit? suam? Vix hoc credam. An vitam publicam? Minime, hoc aliter dixisset Statius. Huc accedit, ut illud *quod* ineptum sit. Nam propter illas, quae antecedunt et sequuntur, oppositiones hoc quoque loco *quamquam* vel *cum* postulatur. Hanc ob causam non de libro quodam historico a Meliore scripto hic mihi dicere Statius videtur, sed de vita ante acta. Itaque legere velim:

Et secrete, palam quom degeris ordine vitam.

hoc est: etsi totam magistratuum seriem deinceps percurristi, tamen nullos tumultus expertus nunc otiose atque quiete vivis.

Iam vero id quod Koestlinus (Philologi vol. XXXVII, 1877, p. 292) sensit, certis documentis demonstrari potest Silv. II, 6, 34 scribendum esse:

Qualis eras! procul en cunctis puerisque virisque
Pulchrior et tantum domino minor!
cum Baehrensius falso coniungeret:
Qualis eras procul en!

Primum enim verba, quae sunt *qualis eras* vel *talis erat* vel similiter, certa quaedam formula sunt, quae plurimis locis apud Statium invenitur, ut his: Silv. II, 1, 157:

Gratum est, Fata, tamen, quod non mors lenta iacentis
Exedit puerile decus, manesque subivit
Integer et nullo temeratus corpora damno,
Qualis erat. Silv. V, 3, 215:
Qualis eras, Latios quotiens ego carmine patres
Mulcerem felixque tui spectator adesses
Muneris Theb. III, 336:
Talis erat! medias etiam non destitit urbes.
Theb. IV, 314: fugit silvas pernicior alite vento
Saxa per et plenis obstantia flumina ripis,
Qualis erat, correpta sinus et vertice flavum
Crinem sparsa noto
Theb. X, 204: Modo me sub nocte silenti
Ipse, ipse adsurgens iterum tellure soluta,
Qualis erat (solos infecerat umbra iugales),
Amphiaraus adit.

Deinde illud *en* vel *ecce* Statium non in fine, immo vero in initio sententiarum ponere pluribus exemplis demonstratur, quam quae enumerare possim. *Procul pulchrior* autem idem fere est atque *longe pulchrior*, ut Statius dicit. Theb. VIII, 15: procul ulteriore barathro.

Alium locum mihi videntur homines docti nondum recte emendasse, Silv. dico II, 6, 42:

nec petulans acies blandique severo
Igne oculi, qualis bellis iam casside visu
Parthenopaeus erat,

Quae quid sibi velint, optime apparet e Theb IV, 244 squ.

Tu quoque Parrhasias ignara matre catervas
(A rudis annorum, tantum nova gloria suadet!),
Parthenopaee, rapis . . . .

Pulchrior haut ulli triste ad discrimen ituro
Vultus et egregiae tanta indulgentia formae.

et Theb. IX, 699—706:

(Haec quoque de Parthenopaeo) Ast ubi pugna
Cassis anhela calet, resoluto vertice nudus
Exoritur: tunc dulce comae radiisque trementes
Dulce nitent visus et, quas dolet ipse morari,
Nondum mutatae rosea lanugine malae.

Nec minus ex his locis mihi videtur apparere ea verba, quae mutaverunt homines docti, *bellis* et *visu*, ipso suo loco esse. Contra solum illud *iam* superfluum et ineptum est. Hoc autem verbum saepius in ipsis Stati libris ex aliis corruptum est, ut Silv. I, 1, 30 e *me*. Itaque hic *sine* pro *iam* legendum esse putaverim:

qualis bellis sine casside visu
Parthenopaeus erat.

Hoc enim acerrimum ὀξύμωρον (*bellis — sine casside*) optime quadrat ad ea, quae praetera hic dicit Statius: torvus atque virilis puer erat, sed tamen gratus, blandi eius oculi, sed severo igne, crinis eius horrens, sed tamen decorus. Nam *sine casside* oppositum est usitatiori illi *sub casside*, quod de eo dicitur, qui ad bellum paratus est, ut Theb. VII, 242:

Et formidandos monstrant sub casside patres.

et Theb. XI, 408:

Stat consanguineum campo scelus, unius ingens
Bellum uteri, coeuntque pares sub casside vultus.

Praeterea autem animadvertendum est hanc positionem verborum, qua substantivum aliquod cum praepositione *sine* coniunctum inter duo alia nomina collocatur, maxime Statianam esse. Licet enim comparere:

Silv. III, 1, 44: insontes iuvenum sine caestibus irae
Theb. V, 325: maestam sine culmine Lemnon
Theb. 333: It truncum sine honore pecus.

praeterea Theb. VIII, 403; IX, 29, 720; X, 12, 656; XI, 664; XII, 358, 470, 583, 729.

Proximo quoque carmine facilius, quam adhuc factum est, locus, qui exstat v. 128, sanari potest. Ibi enim in codicibus traditum est:

Haec te non thyasis procax dolosis
Falsi numinis induit figura,
Ipsum sed colit et frequentat ipsum
Imis altius insitum medullis,
Ac solatia vana subministrat
Vultus, qui simili notatus auro
Stratus praenitet incubatque somno
Securae.

Neque enim hic *vana* in *vera* mutare licet, ut Baehrensius fecit, sed illud, quod praecedit *non*, postulare mihi videtur, ut scribatur:

Nec solatia vana subministrat
Vultus

Infra autem pro ea voce, quae est *stratus*, videlicet necessario scribitur *stratis*, ne verbo, quod sequitur, *praenitet* desit, quo referatur. Sic enim iam Domitius emendavit, sed nescio quo errore Baehrensium hoc effugit.

Coniectura egere Silv. III, 1, 160 quoque putaverim et sic fortasse hic legendum est:

Nam capiet tantum nec degenerabit honorem

pro eis, quae tradita sunt:

Nam capit et tantum non degenerabit honorem.

Inconcinnitatem enim horum verborum ferri non posse iam Gronovius sensit, etsi veram emendandi viam mihi non videtur invenisse.

Pluribus autem dicendum est de Silv. III, 5, 28, qui locus in codicibus sic legitur:

Et semel insertas non mutaturus habenas
Usque premo. Ter me nitidis Albana ferentem
Dona comis sanctoque indutum Caesaris auro
Visceribus complexa tuis etc.

Minime enim probo Baehrensi coniecturam, qui scripsit:

Usque fero. Tu me nitidis Albana prementem

Neque enim comis corona premitur, sed versa vice comae corona premuntur, ut dicit Vergilius: Aen. IV, 148: mollique fluentem

Fronde premit crinem.

Praeterea autem in ea voce, quae est *ferentem* prorsus nihil est offensionis, sic ut certissime illa servanda sit. Alia res est in altera ea voce, quae est *premo*, aut, ut Baehrensius coniecit, *fero*. Neutra enim videtur apta esse. Sed animadvertas velim, quod insequenti verbo *ter* pro *tu* scriptum est, id quod sic vix corrumpi potuit. Immo vero *ter* puto corrigendi causa supra *premo* scriptum fuisse et inde in lineam irrepsisse. Postremo ut versus fieret, *tu* post *ter* librarius aliquis delevit. Quam ob rem Statium crediderim scripsisse:

Et semel insertas non mutaturus habenas
Usque tero. tu me nitidis Albana ferentem
Dona comis etc.

Habenas terere autem aptissime dicitur, cum de frenis in os insertis vel impositis Statius hic verba faciat, qualia equorum dentibus mordentur et retinentur et cum haec vox terendi aliis quoque locis inveniatur, velut: Theb. VIII, 393:

(*Cornipedes*) sic frena terunt, sic proelia poscunt
Hinnitu

Lucan. Phars. IV, 752:

(*Sonipes*) rigidos vexantia frenos
Ora terens.

Ac ne v. 34 quidem eiusdem carminis Baehrensius emendavisse mihi videtur, quem sic codices exhibent:

tu procurrentia primis
Carmina nostra sonis, totasque in murmure noctes,
Aure rapis vigili.

Nam si idem homo doctus hic

totas quin murmura noctes

vel

totasque en murmura noctes

legendum proponit, mihi quidem et illud *en* prorsus ineptum videtur et ne illud *quin* quidem habet, quo

nitatur. Veram autem lectionem hanc esso puto:

tu procurrentia primis
Carmina nostra sonis, totas quae inmurmuro noctes,
Aure rapis vigili.

Nam verbum illud immurmurandi saepius apud Statium invenitur, ut Theb. I, 532: tacitaque immurmurat aure. et Theb. XI, 63: terraeque immurmurat absens

Nomen.

Jam vero Silv. IV, 1, 41:

nondum gremio Iovis Indica laurus,
Nondum Arabes Seresque rogant.

non recte fecisse Baehrensium puto, quod Livinei coniecturam receperit, qua particula *in* ante *gremio* inseritur. Neque enim video, quomodo verbum illud rogandi sine ullo obiecto intellegi possit et hanc ob causam equidem legere malim:

nondum gremium Iovis Indica laurus,
Nondum Arabes Seresque rogant.

Deinde occurrit mihi alius locus, quem emendare posse mihi videor. Silv. IV, 3, 19 enim in codicibus legitur:

Qui reddit Capitolio Tonantem
Et pacem propria domo reponit,
Qui genti patriae futura semper
Sancit lumina Flaviumque calvum.

In quibus duae certe voces emendatione egent. Primum enim *lumina* illa intellegi nequeunt. Sed multo verisimilius est *limina* scripsisse Statium, quam id, quod Baehrensius voluit, *culmina*. Nam sciendum est semper fere codices illos, quos Baehrensius littera C signavit, *lumina* pro *limina* exhibere, ut Silv. III, 1, 9 et 105; IV, 2, 61, aliis locis. Eam ob causam Silv. quoque I, 5, 41 scribendum est secundum collationem Politiani:

non limina cessant,

non, ut C habent, *lumina*.

Maior vero alia illa quaestio videtur, quid insequenti illi voci calvi faciendum sit. Domitius Calderinus enim

hoc in voce non offendit, sed explicavit: *Alludit ad Dominitianum, qui calvus erat.* Sed mirabilis haec esset allusio et vix calva domus vocari potest. Praeterea bene cavisset procul dubio Statius, ne talibus verbis iram tyranni lacesseret, neve in se converteret, quoniam Domitianus, ut docet Suetonius Domitiani vita, cap. XVIII, *calvitio ita offendebatur, ut in contumeliam suam traheret, si cui alii ioco vel iurgio obiectaretur.* Ac ne aliorum quidem hominum doctorum coniecturas, *culmen, caelum, cultum,* Stati verba reddere putaverim. Immo vero hac in voce adiectivum latere suspicor, sic ut Flavium notum illud amphitheatrum gentis Flaviae significet. Hoc autem adiectivum quidnam sit quaerentibus nobis exeundum certissime est ex alio illo praecedent adiectivo: *semper futura.* Quam ob rem aptissime scribi posse putem:

Flaviumque salvum.

Confitendum quidem mihi est exempla huius vocis, quae est Flavium, afferre me non posse. Attamen aliis causis nec non gravissimis magnopere ad hanc suspicionem adducor. Primum enim notum est plurima theatra Romana incendio deleta esse, ut etiam primum illud saxeum Statili Tauri Nerone imperatore igne interiit. Iam id quod summum est, nonnullis annis antequam Statius haec scripsit, maxima pars aedium publicarum Romae magno illo anni LXXX Tito imperatore incendio deleta erat, qua de re dicit Xiphilinus vel potius Dio Cassius 66, 24: *πῦρ δὲ δὴ ἕτερον ἐπίγειον τῷ ἑξῆς ἔτει πολλὰ πάνυ τῆς Ῥώμης, τοῦ Τίτου πρὸς τὸ πάθημα τό ἐν τῇ Καμπανίᾳ γενόμενον* (eruptionem Vesuvi montis dicit) *ἐκδημήσαντος, ἐπενείματο. καὶ γὰρ τὸ Σεραπεῖον καὶ τὸ Ἰσεῖον, τά τε Σεπτά, καί τὸ Ποσειδώνειον, τό τε βαλανεῖον τὸ τοῦ Ἀγρίππου, καὶ τὸ Πάνθειον, τό τε Διριβιτώριον, καὶ τὸ τοῦ Βάλβου θέατρον, καὶ τὴν τοῦ Πομπηΐου σκηνήν, καὶ τὰ Ὀκταούϊα οἰκήματα μετὰ καὶ τῶν βιβλίων τόν τε νεὼν τοῦ Διὸς Καπιτωλίου μετὰ τῶν συννάων αὐτοῦ κατέκαυσεν. οὕτω τὸ κακὸν οὐκ ἀνθρώπινον,*

ἀλλὰ δαιμόνιον ἐγένετο. πάρεστι γὰρ ἐκ τούτων ὧν κατέλεξα παντί τῳ τεκμήρασθαι καὶ τἄλλα τὰ ἀπολλύμενα.
Non solum igitur campi Marti et collis Capitolini, sed etiam Palatini, cui proxime situm est illud Flavium, plurima aedificia tum interierunt, neque igitur, quin suo iure salvum hic illud theatrum totum fere lapidibus exstructum Statius appellet, dubitari potest. — Deinde ut intellegatur, quam facile *calvum* e *salvum* fieri potuerit, in comparationem afferre mihi liceat Baehrensi adnotationes ad Silv. II, 5, 6: *insertasque* ζ a: *incertasque* C; IV, 6, 57: *cedis* A, *sedis* C; IV, 8, 50: *astea* A C *(pro Actaea).* *)

Nunc autem haec relinquamus et alium locum perlustremus. Silv. IV. 6, 25, enim legimus:

Hic tibi quae docto multum vigilata Myroni
Aera, laboriferi vivant quae marmora caelo
Praxitelis, etc. . . . . .
Monstravit.

id quod Gevartius mutavit in *monstrabit.* Nec tamen puto hic de alio quoquam dicere Statium, sed de se pso, cum antea diceret:

Mille ibi tunc species aerisque eborisque vetusti
Atque locuturas mentito corpore ceras
Edidici.

eamque ob causam hic quoque rectius fortasse legimus:

Hic mihi quae docto . . . . . etc
Monstravit.

Alius locus difficillimus atque corruptissimus exstat Silv. V, 1, 19, qui in codicibus sic legitur:

Sed cum plaga recens et adhuc in vulnere primo

---

*) A = collatio libri Sangallensis a Politiano cum a instituta.
a = editio princeps.
C = libri Sangallensis apographum medio saec. XV factum, unde codices novicii fluxerunt.
ζ = doctorum Italorum coniecturae in codicibus noviciis.

Nigra domus questu miseramque accessus ad aurem
Coniugis orbati: tunc flere et scindere vestes
Et famulos lassare greges et vincere planctus
Fataque et iniustos rabidis pulsare querelis
Caelicolas solamen erat.

Ac primum quidem Heinsi coniecturam, qua scribitur *aegra* pro *nigra*, omittere possumus, cum illam iam Imhofius (*de Silv. Statian. cond. crit.* p. 13) recte refutaverit. Difficiliora autem ea sunt, quae sequuntur et, quamvis multi homines docti in his verbis sudaverint, mea quidem sententia nondum emendata. Nam ne id quidem, quod Baehrensius scripsit:

questu misero hautque accessus ad aurem
Coniugis orbati

probare possum. Summum enim eorum, quae hic Statius dicit, hoc est, se primo post Priscillae mortem tempore ad aurem Abascanti accedere non potuisse. Excusat poeta, quod tam sero solatium suum ferat, id quod compluribus locis eum facere notum est. Propterea autem haec verba non possunt sententiae subiunctae esse, sed primariae. Ceteris enim, quae sequuntur, verbis: tunc flere et scindere vestes etc. hoc, quod praecessit, demonstratur, quapropter ad illa *nam* mente supplendum est. Itaque illud *que* post *miseram* corruptum mihi videtur, id quod facillime fieri potuisse concedet, qui hos locos comparaverit: Silv. III, 1, 128:

dites Capreae viridesque resultant
Taurubulae,

ubi codices exhibent: *ditesque Capr(a)e*
et Silv. IV, 6, 19:
(nox) memoranda diu geniumque habitura perrennem,
ubi in codicibus legitur:

geniumque habitumque perennem

Quam ob rem sic hunc locum sanandum esse puto:

Sed cum plaga recens et adhuc in vulnere primo

Nigra domus, quis tum miserandam accessus ad aurem
Coniugis orbati? tunc flere etc.

Similiter enim interrogat Statius Silv. I, 4, 115:

Quis mihi tot coetus inter populique patrumque
Sit curae votique locus?

Proximo autem versu:

Et famulos lassare greges et vincere planctus

ultimum verbum *planctus* mutandum est in *planctu*, cum littera illa *s* e ceterorum, qui circumstant, versuum ultimis vocibus *vestes*, *querelis*, *levandos* huc videatur irrepisse. Sic enim Silv. V, 5, 12 Statius dicit:

Vincetur lacrimis,

non: Vincentur lacrimae.

Minor hac est ea, quae paucis versibus post in eodem carmine exstat corruptela. Legimus enim v. 53:

tibi quamquam et origo niteret
Et felix species multumque optanda maritis,
Ex te maior honos, unum novisse cubile,

ubi sententia postulat, ut legatur:

tibi quamquam et origo nitebat.

Nam *niteret* nihil significare potest nisi modum irrealem, qui huic loco non quadrat, cum *quamquam* Statius cum indicativo coniungere soleat, ut praef. I: *quamquam timeo, ne verum istuc versus quoque ipsi de se probent* et Silv. I, 4, 34:

quamquam tibi, Gallice, maius
Eloquium fandique opibus sublimis abundas.

Ac ne quis credat talem corruptelam apud Statium inauditam esse, afferam Silv. III, 5, 32:

Tu cum Capitolia nostrae
Infitiata lyrae, saevum ingratumque dolebas
Mecum victa Iovem,

ubi codices habent *doleres*.

Denique consensu aliquot locorum adducor, ut Silv. V, 3, 109, ubi traditum est:

Si tu stirpe † vetas famaeque obscura iaceres,

non tantopere litteras respicere velim atque Baehrensius fecit, qui scripsit *vacans*. Legimus enim Silv. I, 2, 172:

Nec formae nec stirpis egens

et Theb. I, 465:

Nec nos animi nec stirpis egentes

et Theb. VI, 896:

Tum generum, ne laudis egens, iubet ardua necti
Tempora.

Illa autem vox, quae est *vacans*, cum eiusmodi verbis coniuncta non videtur inveniri. Quam ob rem hoc quoque loco rectius fortasse legitur:

Si tu stirpis egens famaeque obscura iaceres.



Vita.

Gerhardus Adrianus natus sum Nonis Maiis a. h. s. LXVIII Elbingae patre Gustavo, matre Ioanna e gente Riediger, quorum utrumque praematura morte mihi ereptum quam maxime lugeo. Parentes evangelici sua fide me imbuerunt.

Primis litterarum elementis instructus, annum undecimum agens in gymnasium Elbingense receptus sum, cui per septem annos interfui. Deinde parentibus mortuis cum unica sorore (et hanc quoque nonnullis annis post subita morte amisi) Gedanum ad amicos parentum me contuli, ubi a. LXXXVIII maturitatis testimonium nactus sum. Tum studiis philologicis primum Berolini per bis sex menses me dedi, unde Herbipolim commigravi, ut praeter studia mea per annum stipendia facerem. Per tria semestria ibi moratus Gottingam adii, ubi per alia quinque semestria studia mea continuavi et ad finem perduxi. Docuerunt me vv. cl. Berolini: Paulsen, Deussen, Ebbinghaus, Diels, Hübner, Joh. Schmidt, Hirschfeld, Hoffory; Herbipoli: Grasberger, v. Urlichs, Schanz, Volkelt, Sittl, Lexer; Gottingae: Sauppe, de Wilamowitz, Leo, Dilthey, Bechtel, Kielhorn, Volquardson, Dziatzko, Heyne, Roethe, Baumann, quibus omnibus maximas gratias habeo semperque habebo. Exercitationibus seminarii philologici Herbipoli interfui nec minus per tria semestria Gottingae. Per idem tempus Germanici seminarii Gottingensis sodalis fui.

